



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCCI. Parabola Vineæ Agriculis locata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

quia offerunt, & ea nec rogati præstant. Non sic Politicè agas cum DEO, promissa sua fideliter tibi servante. Pudeat te à Publicanis & Meretricibus, priùs nolentibus obedire Patri suo Cælesti, postea verò Pænitentia motis, studio exequendi Divinam Voluntatem, eamque perficiendi superari.

PUNCT. III. *Venit enim ad vos Ioannes in via Iustitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem & Meretrices crediderunt ei: Vos autem videntes, nec Pænitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.* v. 32. Imò ad te non tantum Joannes, sed ipse Filius DEI per varios Legatos suos venit, qui est Sol Iustitiæ, Via, Veritas, & Vita: & ipsius Doctrinæ, ac Exemplis ad obsequendum promptam Fidem non præstitisti. Videns autem tot sceleratorum hominum serias Conversiones, finis illos te præcedere in studio consequendi Regnum DEI. Itaque Pænitentiam habe: & ausculta Divinæ Veritati, Verbis & Exemplis te docenti, ac ducenti per viam Iustitiæ.

MEDITATIO CCCCI.

Parabola de Vineâ Agricolis locata.

Matth. 21. v. 33. Marc. 12. v. 1.

Luc. 20. v. 9.

PUNCTUM I. *Aliam Parabolam audite* (quâ Christus Judæis minatur, propter occisos ab illis Prophetas antiquos, ac denique propter futuram suâ interfectionem, & propter infidelitatem, ab ipsis aufere-
rendam esse veram DEI Synagogam, & aliam Ecclesiam ex Gentibus congregandam esse) *Homo erat Pa-*
Cc 5 *terfamilias,*

et familias, qui plantavit vineam, & sepe circumdedit
& fodit in ea torcular (Marcus ait: *Et fodit lacum, foveam*
lacunam, quâ vinum expressum olim recipiebatur
quæ, veluti pars totius machinæ, à Matthæo nominatur
torcularis significatur; ideo dicit: Fodit in ea torcular
& edificavit turrinam, & locavit eam agricolis, & perpendit
profectus est. Hanc Parabolam tibi accommodari
 potes, intelligendo per Patrem familias DEVM; per
 Vineam Religionem Christianam, vel Ordinem reli-
 giosum, cum omnibus medijs ex illis colligi-
 gendi fructus & uvas Bonorum Operum; per Sepem
 Leges & Regulas, ac Vota Religiosa; per Torcular
 seu Lacum, in quem vinum uvarum exprimitur,
 Bonorum Operum & Exemplorum Communicatio-
 nem, & Collectionem; per Turrinam Superiorum Vi-
 giliantiam. Vide ergo, quàm fertilem, & quàm pro-
 vidè, & optimè instructam Vineam tibi DEVS loca-
 verit; considera Sepis altitudinem, firmitatem
 securitatem; perpende Lacus amplitudinem, Turri-
 latum prospectum, & in ea degentium Vigilantiam.
 Proinde agnosce, quanta sit tua obligatio uberes fru-
 ctus procreandi, alligandi vites, nempe Potentiam
 animi, circumcidendi palmites passionum, & ab-
 stinentionum voluntatis, illòsque à frigore, ventis, volu-
 cribus &c. protegendi, arcendi feras effringentes se-
 pem, parendi vigilum clamoribus ad repellendos fu-
 res, pendendi fideliter Canonem, & debitam fructu-
 um, uvarum, vel vini portionem.

PUNCT. II. *Cum autem tempus fructuum appropin-*
quasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructum
ejus. Et agricola apprehenderunt servos eius. &c. Matth.
 21. V. 34. Considera, tempus fructuum pendendi

dorum jam appropinquâsse, & pro varia temporis
 divisione nunc esse reddendos fructus devotæ Ora-
 tionis, nunc utilis cujusdam operationis, nunc Pati-
 entia, Humilitatis, Mansuetudinis &c. Exactores
 fructuum esse Superiores, & Curatores Animarum.
 In hos autem non tantum manus non debes injicere,
 sed neque contumelia illos afficere, neque linguâ per
 murmurationem, oblocutionem, detractionem &c.
 lædere, neque odio & aversione proficere, si debitos
 fructus exigunt: multò minùs debes ipsum Filium
 DEI ullo peccato tibi metipsi rursus crucifigere. Sis
 ergo ex illis agricolis: qui reddant ei fructum temporibus
 suis.

PUNCT. III. Cùm venerit ergo Dominus Vineæ, quid
 faciet agricolis suis? Ajunt illi: Malos malè perdet, & Vi-
 neam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum
 temporibus suis. v. 40. Approbat Christus hanc re-
 sponsum apud S. Marcum, & S. Lucam, eamque
 confirmat. Nota itaque illud: Malè perdet: Nam est ali-
 qua bona perditio: quia, qui perdit Animam suam,
 Christo teste, inveniet eam. Bona perditio esset pæ-
 na medicinalis, sive pæna medicans: mala perditio
 est pæna vindicans. Væ ergo homini & agricolæ illi,
 quem DEVS malè perdit, à quo Vineam aufert, &
 in alium transfert! Time: & cave.

MEDITATIO CCCCII.

De Nuptijs Filii Regis.

Matth. 22. v. 1.

PUNCTUM I. Et respondens IESVS, dixit iterum in Para-
 bolis